

N. 3.

In Dei Filio sibi dilectis RR. Adm. PP. Provincialibus, Diffinitoribus, et Electoribus Provinciarum Hispaniæ ac Indiarum Ordinis Prædicatorum, ad proximum Generale Capitulum Cæsaraugustæ celebrandum de jure spectantibus:

NOS FR. JOACHIMUS BRIZ,

Sacræ Theologiæ Professor et Doctor, humilis ejusdem Ordinis Magister Generalis et servus, Hispaniarum Primæ Classis Optimas, &c.

Salutem, Religionis zelum, cordium unitatem, ac prosperum iter.

Advenit tandem, Patres dilectissimi, peroptatissimus, faustusque boni nuntii dies, quo spectatissimæ Ordinis Prædicatorum Familiæ tot tempestatibus immeritò jactatæ, tamdiu à consodalium Provinciarum familiari consuetudine prohibitæ, necnon novissimè à sui Capituli diuturnitate, ac primæva unitate hinc inde disjunctæ, in Comitibus generalibus congregari liceat pro salubri ac potenti pharmaco tot eidem inflictis vulneribus gravissimis adhibendo. Sed, heu! Dolendum, et maxime dolendum, huic Ordinis amplissimo Senatui defuturos viros præstantissimos, qui per Pianam Apostolicam Constitutionem *Inter graviores* jure suffragii divisim tantum gaudere debent, vocales nempe extra Hispaniam existentes, in electione hac vice Generalis Magistri; vocales vero existentes in Hispaniis in electione Vicarii Generalis, juxta alternativam in ea stabilitam. Sic etenim loquitur Summus Pontifex Pius Papa VII. die XV. mensis Maii anni MDCCCIV. scilicet. —

“Supremum Magisterium Ordinum in Hispaniis existentium, qui usque adhuc à Generali, seu Vicario Generali, Natione Hispanis, atque in Hispania commorantibus gubernati non fuerunt, alternatim deinceps erit gerendum, nimirum, erit una vice penes Hispanicæ Nationis Religiosum virum; altera vero vice apud virum Exteræ Nationis cujuscumque. Magisterium idem erit ad sexennium, nisi ad longius tempus statuendum, gravibus intercedentibus causis, ab Apostolica Sede judicetur. Electio Summi Magistri juxta leges consuetas respectivorum Ordinum à Capitulo Generali fiet. Cum Summus Ordinis Magister ex Hispanis eligendus erit, Comititia generalia in Hispania habebuntur; Romæ vero, sive alibi, prout leges cujuscumque Instituti statuunt, cum Idem ex aliis Nationibus erit eligendus. Evocari, accedere, atque admitti ad generalia Comititia debebunt vocales tam ex Hispania, quàm ex aliis Nationibus. Cum Magister Generalis non erit Natione Hispanus, tunc Hispani habebunt Vicarium Generalem Hispanicum; et viceversa, cum Supremum Magisterium penes Hispanicum erit, Ordo extra Hispaniam existens habebit Vicarium Generalem aliarum Nationum. Vicarii Generalis munus erit ad idem tempus muneris Superioris Generalis. Electio Vicarii Generalis fiet in eodem Capitulo Generali, simul ac Summi Magistri electio habita fuerit; sed ab Hispanis vocalibus eligetur, cum Is Vicarius Generalis Hispanicus futurus erit; Vocales vero aliarum Nationum Vicarium eligent, cum Is ad Ordinem pertinebit, qui extra Hispaniam est. Tam Summus Ordinis Magister, quam Vicarius Generalis, cum Hispani erunt, in Regis Hispaniarum Ditionibus residebunt.”

Elapso igitur in Hispaniis Supremi Ordinis Magisterii sexennio; atque à Religioso viro Ordinis extra Hispaniam existentis, in sexennio proximè venturo, Supremo eodem munere juxta præcitatam Apostolicam Constitutionem obtinendo; prudentissimus Summus Pontifex Gregorius Papa XVI. feliciter Ecclesiam gubernans, precibus Catholici Regis Nostri pientissimi benignè annuens, ac perpensis temporum circumstantiis, prorogato interim Supremi nostri Magisterii munere, prout ex Circularibus nostris litteris die XX. Julii anni MDCCCXXI. ad vos transmissis, notum est; laudatam Apostolicam Constitutionem *Inter graviores* declarans, permittit, duo separatim celebrari Capitula Generalia, unum scilicet pro electione Generalis Magistri, alterum vero pro Vicarii Generalis electione, juxta alternativam ibidem stabilitam; prout ex Regio Chyographo die X. currentis mensis ad Nos transmissis apparet.

Sane, ex præscripto nostrarum Constitutionum Dist. 2.^a Cap. IV. §. 1.^o cessante Officii nostri munere post festum S. Michaelis, supersedendum esset hoc anno à Capitulo Generali celebrando, illud ad annum MDCCCXXXIII. protrahendo: verumtamen, stante Apostolico Oraculo prælaudati SSmi. Dñi. Nostri Gregorii Papæ XVI. die XXV. mensis Junii anni proximi elapsi emanato, ac per Emmum. D. D. Placidum Cardinalem Zurla Ordinis nostri Protectorem amantissimum die I. Julii ejusdem anni ad Nos transmissis, quo Generalia Comititia ad pervigilium Pentecostes anni currentis consignare dignatus fuit, atque stante pariter supramemorata declaratione Pontificia de duobus Capitulis Generalibus Romæ ac in Hispania contemporaneè celebrandis; legem Ordinis prædictam pro hac vice derogatam declaramus. His itaque præ oculis habitis, tenore præsentium, nostrique auctoritate Officii, Capitulum Generale pro Vicario Generali Hispano, juxta dictam alternativam pariter eligendo, ad diem IX. mensis Junii proxime venturi indicimus, denuntiamus, et intimamus,

in Conventu Regali nostro Prædicatorum Cæsaraugustæ celebrandum. Quapropter Provinciales omnes, Diffinitores, eorumque Socios seu Electores Provinciarum Hispaniæ ac Indiarum in prædictam Urbem Cæsaraugustanam, necnon in ipsius Regium Prædicatorum Conventum convocamus, invitamus, et citamus, ita ut vocales omnes ad eandem Urbem se conferre teneantur: præcipientes eisdem in virtute Spiritus Sancti, et Sanctæ obedientiæ, necnon sub formali præcepto, ut ita suam unusquisque profectionem instituat, ut, juxta præscriptum nostrarum Constitutionum Dist. 2.^a Cap. VIII. §. 8.^o *Dominica infra Octavam Ascensionis Domini, vel Sabbato præcedenti, locum Capituli intrare teneantur, et ex tunc in Choro, et alibi ordinatè sua loca tenere, quousque tempus suæ Diffinitionis expiret.* Quod si contigerit, aliquem, vel vestrum aliquos undecumque impediri, ne pro tempore debito personaliter Comitibus generalibus supradictis adesse queant; meminerint ex Admonitione III. Capituli Generalis Vallisoleti anno MDCV. celebrati, se omnino teneri ad hujusmodi impedimenti causas Nobis tempestive aperiendas, et probandas. Ac ne circa Diffinitores aliquos, qui forsitan subrogari debeant loco eorum, qui, in Capitulis Provincialibus electi, postea obierunt, dubia oriantur; in memoriam revocamus Ordinationem per modum inchoationis in Capitulo Generali Bononiæ factam anno MDCCXLVIII.: imo, quantum ad Hispaniam Provinciam, Denuntiationem VIII. Capituli Provincialis Taurensis anni MDCCCLIII. ubi quædam concordia inter Electores inita legitur. Cæteris vero, quibus juxta Ordinis leges fas non est, ut Comitibus generalibus intersint, sub eodem formalipræcepto vetamus ipsa adire, vel ad locum Capituli, toto tempore celebrationis ejusdem, et per quindenam ante, ad Civitatem prædictam Cæsaraugustanam quocumque prætextu accedere, nisi petita prius, et in scriptis obtenta licentia nostra. Qui vero prudenter existiment, aliquid ad profectum Ordinis generalibus Comitibus esse referendum, id præstare poterunt litteris commendatis propriæ Provinciæ Diffinitoribus, qui illas Patrum judicio subjiciant: qui quidem Diffinitores curabunt pariter ut suarum Provinciarum postulata, quæ sibi credita ad Capitulum Generale deferent, approbatione et sigillo Provinciæ sint munita; eaque non in privatam utilitatem cedant, sed in publicum Ordinis bonum ac decus, in quod omnes conspirare tenentur. Res præterea gestas à Fratribus, atque Sororibus innocentia vitæ, doctrinæque laude illustribus, qui post Comitibus generalia Romæ habita anno MDCCCLVI. in Domino dormierunt, describi, ac mitti Provinciales curabunt: licet enim anno MDCCCLXXVII. ea Romæ fuerint celebrata, attamen nec eorum Acta usque modo in Ordine visa fuerunt, nec credimus fuisse omnimode efformata. Cum autem nullam pecuniæ vim Ordo in Hispaniis existens sepositam habeat ad sustinendas Generalium Comitiorum expensas, eaque propter nonnisi Provinciarum sumptibus celebrari valeant; monemus Provinciales omnes ad nostram jurisdictionem pertinentes, atque illos in primis, quos justo impedimento detineri contigerit, neminem absentia titulo à justæ partis, seu statuta taxæ solutione immunem et liberum habendum fore, illamque omnino persolvendam esse ante solemnem Comitiorum celebrationem, pro alleviando onere à Conventu Cæsaraugustano sustinendo ob frequentiam fratrum, ac solemnitatem festorum Capituli, nulla habita ratione expensarum itineris vocalium, concionatorum, ac eorum qui Disputationes sint habituri, quas omnes respectivæ Provinciæ sustinere pariter debebunt.

Desideratissimum itaque, Dilectissimi Patres, omnibus bonis, ac Religiosis zelo conspicuis viris occasionem offerimus, qua, post longissimum annorum quinquaginta quinque decursum, Inclyta Prædicatorum Familia, licet non tota una simul, congregari valeat; et ut invicem fratres nostros sese complecti liceat, cor unum, et animam unam in Domino referentes; et ut commune Ordinis bonum, post tot jacturas apprimè necessarium (heu! nostis quàm optime!) sedulo procuretur. "¿ Quis ergo filius (ut verbis utar Rmi. P. Sicci Papiensis) Matrem videat de vita periclitantem, et confestim non accurrat? ¿ Quis bonus civis patriæ excidium imminere intelligat, et non opes tantum, sed vitam ipsam profundere paratus, ad eam tutandam non accedat, majorem proculdubio gloriam inde collecturus, quàm si Imperium, et Coronas, patria neglecta, et relicta, ipse consequeretur? Fatemur, Patres in Christo dilecti, nullus tantus est dolor, quo hujusmodi calamitas satis defleri posse videatur.... ¿ Quid autem ea gloria præstantius, quam sibi quisque sua virtute in Republica juvanda consequitur? Si vestra cura, labore, et studio Religio tuta maneat, splendeat, ac fulgeat, facitis quod vestrum est, Matrem vestram juvatis: hoc ipso nomine magnum vobis apud Deum et homines honorem comparatis." Hæc erant Nobis ex corde promenda.

Quam vero magnum, et grave negotium agatur, pluribus verbis vobis indicare supervacaneum existimamus. Agitur de salute et dignitate Ordini procuranda: agitur de Disciplina, observantia, studiis rot tamque atrocibus, injuria temporum, inflictis vulneribus reparandis, curandis, atque scandis: agitur denique de primævo suo decore eidem pro posse restituendo. Languet siquidem Disciplina fervor, studiorum assiduitas, orationis frequentia, legum denique observantia ex consequentibus humanam infirmitatem, temporumque pravitatem miseris, et defectibus.

Hoc si vobiscum, ut par est, serio perpendatis, Religio, Pietas, officium, quæ omnia apud vos plurimum valere minime dubitamus, ad id certe vos impellent, ut, omnium partium studio semoto, omni humana affectione prorsus abdicata, eum deligatis SSmæ. nostræ Familiæ Moderatorem, cui nihil prius et antiquius sit, quàm ut Deo Optimo Maximo summus tribuatur honor, animarum sempiterna salus procuretur, Ordinis leges vigeant, virtutes omnes, eæ præsertim quæ Religiosos viros decent, sanctè colantur, litteræ, bonæque artes amplificentur; ut, uno verbo singula complectamur, SSmi. Nostri Fundatoris, ac Protoparentis præclarissima exempla cogitationibus, moribus, rebus gestis, totaque vivendi ratione ad vivum exprimere conetur. Quod, si in quibuslibet gradibus (inquit S. Leo Magnus Epist. 87. ad Episc. Afric.) providenter, scienterque

curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque præposterum; quanto magis elaborandum est, ut in electione ejus, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ status nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in Capite. In hunc itaque scopum consilia, et deliberationes vestras conferte, ut Is cæteris præficiatur, cujus omnis ætas per *Disciplinæ* regularis stipendia cucurrerit, ut unicuique testimonium prior vita præbeat: ne possit de ejus profectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro castis moribus, pro actibus strenuis celsioris loci præmium debeat.

Ut tantum bonum assequamur, curent diligenter Provinciarum Præsides, ut in singulis Conventibus et Monasteriis eæ fundantur ad Deum preces, quæ à Constitutionibus Ordinis occasione Capituli Generalis præscriptæ sunt, quibusque fortunatum iter, et reditus convenientibus ad ipsum, faustusque rei universæ exitus implorentur.

Accedite ergo, charissimi Filii, accedite ad Patrem vestrum, qui vos avidè præstolatur. Utinam et incommoda itineris, quod felix faustumque adprecamur vobis, levare possemus! Quamvis minime dubitamus eos vos esse, quos consideratio utilitatis, ob quam illa sustinetis, abunde consoletur; id interea vobis promittere non veremur, nullum vobis, cum ad Nos perveneritis, humanitatis, charitatis, sed et amicitiae, ac benevolentiae nostræ in vos officium esse defuturum: licet enim ad Sedem Segoviensem in adventu vestro forsam jam evecti fuerimus; attamen de persona in circularibus novissimis nostris litteris designata pro vicibus nostris interim obtinendis sic confidimus, ut prædicta omnia, ac tenera charitatis et humanitatis officia cumulatissimè adimplebit. Valete, dilectissimi Patres; Deumque Optimum Maximum enixe deprecamur, ut fidum Tobiae Angelum tutum itineris comitem vobis concedat; Benedictionem SSmi. Patris Nostri Dominici toto animi nostri sensu vobis peramanter impartimur, à quibus Nostri sociorumque nostrorum memoriam in Sacrificiis et orationibus vestris non defuturam confidimus. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Datum in Regali Nostro Prædicatorum Cæsaraugustano Cœnobio die XIV. mensis Martii anni millesimi octingentesimi trigesimi secundi.

Fr. Joachimus Briz,

Magister Ordinis.



Reg. pag. 71.

Fr. Vincentius Lopez,

Magister Procurator Generalis Ordinis,
Provincialis Terræ Stæ. et Socius.



